PSEUDOPLASMATA ATERO-CHONDROMATOSA MAMMARUM UTERI ET...

Pietro Borriero



PSEUDOPLASMATA ATERO-CHONDROMATOSA MAMMARUM UTERI ET GLANDULARUM LYMPHATICARUM

DISSERTATIO INAUGURALIS

A

PETRO BORRIERO

EDITA



PATAVII
TYPIS SEMINARII
MDCCCXXXV.







****

Quoniam morborum et dissectionum historia, sapientissimi viri sententia, sanos medicinae progressus vel maxime promovere valet, cum vobis hac die, clarissimi Professores, aliquid proferre debeam, quod doctrinae medicae notionibus quocumque modo inservire possit, nullam sane rem magis viribus aptam seligere potuissem, quam morbi singularis expositionem, quem observare mihi contigit. Si morborum conspectus multiplex medico quotidie exhibetur; si tot et tam diversi status nimii, atque externi influxus ad eum mutandum concurrunt, ut diuturna doctrina et ingenii vis peracuta raro ad quasdam perturbationes dignoscendas sufficiant, profecto nil mirum erit, si morbum quem vobis expositurus accedo, doctissimis perquisitionibus sese abdere potuit. Tumores quamvis externae affectiones plerumque sint, in tanta ambiguitate versantur, ut eorum distinctio peritissimis quoque viris definiri nequeat. Et revera in clinico chirurgico, inspectante praestantissimo professore Signoroni, hujus indolis morbum anno praeterito examinavi.

Quaedam Angela G. a patre per mammae scirrhum perempto exorta, temperamento sanguineo irritabili, et praestanti corporis forma praedita, nulla dyscrasia laborare videbatur; levissima indicia characteris scrophulosi in ea solummodo adparebant. Catamenia ad annum decimum secundum primitus observavit, quae regulariter inde et

copiose defluentia ponderis sensu et doloris ad mammas praenuntiabantur. Deinde illicitis voluptatibus cum frequenter indulgeret, interdum concepit, et peperit. Extremo partu confecto, utero laboravit; probabiliter quod gestationi et puerperio non inservierit, aut iniquam curam adhibuerit. Ceterum ea fuit valetudine, ut firmo corpore animoque attigerit aetatis annum quadragesimum tertium. Hic cum dexterum thoracis latus ictu percuteretur, glandulas sub proxima axilla tumescere atque indurare, et altero post mense mammam ipsam haud secus constitui. Permagna durities tumoribus inhaerebat, mobilitas, nullus dolor, quare cum nihil urgeret, mulier ut illis consuleret, minime curavit.

Annum circiter ita res egit; sed cum a laboriosis officiis famulae quiescere non daretur, post grave brachiorum exercitium major in mammas tegumentis turgor et rubor adparuit, dolor quoque, et circulationis incitatio. Chirurgum adhibuit, et eum peritissimum. Itaque uberrima hirudinum emunctio, cataplasmata emollientia, mercurialea frictiones diu in usum vocabantur. At saevit mali labes; nil aegrae prodest. Mammae cutis jam erysipelacea adeo tumet, ut ad papillam exulceretur. Quapropter cum nihil a methodo antiphlogistica utilitatis proficisceretur, fomitem aliquem acrophulosum latere, atque in illum agendum esse opinabatur. Ulcus interim solutione creasoti conspersum magis sese extenderat; ejus adpectus deterior erat, ima superficies lardacea, margines crassi inaequales, et parva ichoris copia secreta. Ab aliquo tempore glandulae alterius axillae quoque induruerant, et inde etiam mamma sinistra. Hic vero corpus et vires cum aegra in diem amitteret, atque animo vehementer angeretur, consultatio instituta fuit; et in eo sententiae convenerunt morbum cum obscurum, tum tetarrimum esse.

Quae cum ita essent, ad opem in nostro clinico exposcendam deferebatur. Aegram conspeximus corpore et viribus fere confectam, dolores, anxietatem in ore insidentes. Cutis aret, et calet vix majori gradu; pulsus frequentes, nonnihil vibrantes. Mamma dextera aliquo volumine adaucta exulcerata erat per dimidium et ultra convexitatis, ulcus notae jam relatae superincumbebat textui duro fere lapideo, a quo cuncta mammae moles constituebatur. Pars cutis non adhuc exulcerata, magis crassa, rubra et dura cum venis circumambientibus varicosis. Dolores lancinantes a quocumque levi tactu exsurgebant, haud raro spontanei. Glandulae subaxillares utriusque lateris tumentes et durae, nec non quaedam illa lymphatica proxima. Mamma sinistra voluminis et tegumenti naturalis consistentiam admodum duram, et formam veluti ex glomeratis tuberibus constitutam, exhibebat. Catamenia jampridem in morbi incremento substiterant, reliquae animales functiones sufficienti ordine peragebantur. Talis erat morbi conspectus.

Nos autem de morbi origine et decursu non satis edocti, cum tumorem glandularem ex systemate lymphatico prodeuntem viderimus, qui ex methodo antea adhibita, phlogistico processu comitatus fuisse videbatur, cum ulcus, quamvis antea fomentis irritantibus lacessitum, non admodum mali moris esset, et aegrae constitutio non illius indolis appareret, quae evolutioni scirrhosae favere solet, credidimus lymphangioitidem ab aliquo scrophulosae dyscrasiae gradu suffultam organa glandulis et vasis lymphaticis majori ex parte confecta afficere, ac tali modo sese constituere potuisse. Ex eo igitur indicatio sequebatur, quod mercurialia, antimonialia, balnea ceteraque resolventia experiri deberent. Die vigesima octava Junii anni proxime elapsi, malo quamvis omine, medela instituebatur. Aegra vix aliquot die-

bus haec remedia sufferre valuit, ventre adeo laborabat, ut quamlibet fere substantiam deglutiendam respueret. Si alvus a biduo tantum consisteret, molestissima erat pyrosis; fluentem igitur retinere necesse erat. Lancinantes dolores nunc ad mammam dexteram, nunc ad flexum coxarum superiorem, nunc ad ventrem vehementer ita saeviebant, ut, frequenti sopientium dosi, ad eos leniendos opus esset. Sed vix affulgebat quies, cito evanescens, miserae nil melius erat. Ad vesperas fere quotidie caloris augmentum, et major in pulsu incitatio, frequentes accensiones febriles venae sectionem cum emolumento ter expertae sunt. Aqua cohobata lauro-cerasi ad extremos usque dies expetita fuit; copiosissimus erat potus aquosus; ardens enim sitis urgebat. Mamma sinistra nullum progressum morbi ostendebat, cuilibet tamen resolventium vi obstiterat. Conspectus ulceris in dextera deterior in diem evaserat. Cetera quoque in pejus ruunt. Hisce volventibus, mense circiter transacto, aliqua cancrenae vestigia ad papillam prodeunt, et cruor a fungosis excrescentiis quandoque manat. Conspersio cum pulvere myrrhae coercere non jam impedire cancraenae gressus valet: lente prosequitur. Crebriores febris exasperationes, respiratio anxia, dolores suppressi, emaciatio horrida, collapsus praeceps, omnia extremam horam portendunt. Decima Augusti die languori universali febris ardens cum delirio successit, quae vi majori ad undecimam furens, quievit in decima secunda, ut saltem tranquille miserrima conficeretur.

Necrotomia.

In mammam magis corruptam cultrum primitus ferebatur. Ulcus quod duas tertias hemisphaerii partes tenebat, ex parte crustis cancraenosis tegebatur, ex parte excrescentias fungosas

parum prominentes exhibebat, et ex parte magis effossum cancraenae erosiones ostendebat. Textus ulcerosus facile deleri poterat, et basis apparebat valde dura. Cutis quae non adhuc exulcerata erat, cum incideretur, exteriori stratu secto, cultro obstabat, et sub sectione peculiaris quidam rumor crepitans tradebatur. Dissecta in linea transversali media mamma ex homogenea materia dura, ae confectam esse patefaciebat. In quatuor deinde partes divisa, unaque ablata, conspeximus textum homogeneum albo-flavellum, inodorum, durum, elasticum, haud scindendum, resistena, consistentiae cartilaginis mollitae, qui nullum fusionis signum, nulla puris receptacula continebat; fortiter compressus pauca mucositate irrorabatur. Ceterae quoque mammae partes eadem ipsa substantia constitutae erant. Fibrae musculares subjectae nonnihil dealbatae et exiles adparuerunt. Ex eorum interstitiis corpuscula quaedam variae magnitudinis, a grano triticeo nempe ad amygdalam, effodiebantur, quae materiem mammae similem includebant; haec autem axillam versus copiosiora erant. Glandulae axillares utriusque lateris volumine adauctae eadem substantia dura constabant. Mamma laeva tegumentis et volumine adhuc normalis erat; exterioribus cutis stratubus caesis, textus mammae dexterae statim sese exhibuit; hoc solummodo differebat quod aliqua in parte textus subcutaneus non tam cito indurescebat: quare tumor utpote a variis tuberibus efformatus apparebat. Dissecta cranii cavitate tunicae sanguine suffusae adparuere, et substantia cerebralis consistentiae mollioris (cadaver a triginta horis jacebat in tempestate admodum calida). Patefacto thorace ter quatuorve seri unciae a dextera cavitate defluxerunt, et pleura magis crassa costis anterius valde adhaerebat; minus seri et cohaesionis in cavitate sinistra. Abdominis parietibus sublatis, nil vitiosi in

viscerum situ et forma reperiebatur. Ventriculus levem tantum ruborem ostendebat; nulla glandula aderat inspissata. Detracta autem vesica urinaria, uterus abnormis apparuit. Ubi ejus collum corpori connectitur infra tunicam propriam et peritonaealem tumor nucis magnitudine offerebatur, qui conscissus texturam mammarum jam descriptam ostendit. Collum uteri valde crassum, et vaginae pars superior pari textura constabant. Cetera organa in normali statu reperta fuere. Frustulum hujus peculiaris substantiae in aqua per aliquot dies digestum, structuram non amisit; fluidum turbidum reddidit, quod gelatinae aliquid demisit. Cum autem ad distinguendas albuminam et fibrinam concretas quae principia bujuscemodi substantias majori ex parte constituunt, ipsi quoque Berzelio certi characteres deficerent, ulteriores chemicas inquisitiones praetereundas arbitrati sumus.

Nunc vero hujus morbi postquam historiam, per quod nobis erat, diligenter exponere curavimus, liceat scholastico veluti tentamine ad hanc affectionem propius accedere, et quoniam ejus adspectus nunc patet, ejus indoles intimius perscrutetur.

Degenerationem organicam vaginae, uteri, glandularum lymphaticarum et mammarum examinandam habemus. In mammis ubi morbus magis profundas radices delixerat, magis sistant perquisitiones nostrae.

Mamma dextera cutim rubentem tumentem interdum exhibuit; aderant quaedam phlogoseos indicia, et methodus antiphlogistica adhibebatur. Perpendamus igitur si erysipelas tantum extiterit a quolibet irritatione productum, aut si passa contusione lenta phlogosis glandularis orta fuerit, quae exinde a causis externis, aut a fomite scrophuloso concitata ad altiorem gradum pervenerit, et ad cutim quoque sese diffuderit. Prius quam

cutis ruberet, tumesceret, interna affectio jamdiu perdurabat, quin ulla inflammationis indicia prodierint; et mastitis quaelibet non est morbus qui ita latens decurrere soleat. Erysipelas adparuit cum mammae volumen admodum magnum erat; in mamma sinistra quod tumor non adeo extendebatur, nulla cutanea phlogosis viguit. Ex mechanica distensione atque externis irritantibus cutis inflammatio exorta videtur. Sed concedatur mastitem cujuslibet indolis et decursus extitisse; productum quod parere potuisset, observetur. Processus inflammatorius diu in quodam organo persistens, ejus conditiones dynamicas et materiales turbare potest; interdum auget, interdum destruit ejus substantiam. Inter exitus inflammationis quibus massa organica augetur et inspissatur, habentur crassitudo et induramentum.

Consistit crassitudo in materiali augmento alicujus organi aut uniformi, aut in aliqua parte majori, quod ex luxuria vegetationis hisce textibus propria procedit. Induramentum efficitur quotiescumque principia quaedam heterogenea infra organi inflammati parenchyma secernuntur. Haec nova principia volumen et consistentiam, minime autem pristinam texturam mutare valent; nisi mechanica vi agere possunt, et si textus proximos interdum corrumpunt, hoc fit, quod veluti corpora extranea, processum aliquem pervertentem excitant. Si materies secreta in loco deponitur, ubi sua quantitate massam per se constituat, haec iners jacebit, non amplius augebitur, quod deficit auae causa productionis, et intima vita destituitur; nisi consistentiae sit majoris, absorbentium vi deletur. Et si dissolutioni ac putredini obstat, hoc est quod in sphaera conditionis vitalis reperitur. Aliquem organisationis gradum interdum assumit a contiguis partibus, quarum propages vegetativa tunc constituitur. Nunquam igitur inflammationis vis in crassitudine et induramento

pristinam organorum compositionem omnino evertere valet. Varii textus qui in aegra nostra mole adaucti inspissati, in substantiam novam primigenia conditione, omnino diversam conversi fuerunt, ex processu tantum phlogistico metamorphosin hanc non sane eliciere. Sed quispiam referet, non hos tantum inflammationis exitus esse, qui organicam conditionem mutare possint. Hoc quidem; at nos discrimen aliquod inter varios inflammationis exitus hic statuendum esse arbitramur. Quotiescumque inflammatio non plane resolvitur, texturam organicam turbavit, et materialia edit producta. Ex hisce, aliqua exoriuntur et in processu inflammationis complentur, et haec producta exitus inflammationis haberi merentur: et aliqua in processu inflammationis causam tantummodo evolutionis acquirunt, et effectus inflammationis non producta recensenda sunt. Inflammatio nimirum suo decursu conditionem organicam turbare potest; ex hac turbatione nova exoritur conditio, quae extincta etiam inflammatione, producta propria gignere valet. Hujusmodi producta cum inflammatione non conficiantur, quin etiam absque ejus influxu interdum evolvi possint, cumque exorta organisationem et vim peculiarem absque inflammationis concursu acquirant, ab inflammationis exitu jure meritoque secernenda sunt. Processus vegetationis perturbatus est conditio ad haec producta necessaria. Si materies novae productionis partibus affinis sit, in quibus ingeneratur, si easdem sequatur leges totidem excrescentias, totidem propagines ipsarum partium constituit; si contra variam indolem nova producta, et formam acquirant, ut organa heterogeneae conditionis et structurae eveniant, peculiarem ordinem constituunt, *pseudoplasmata* vocantur.

Quoniam organica mutatio, quam nos explorare studemus, non tantum ex inflammatione ge-

nita videtur; indolem pseudoplasmatum observabimus, ut illis si referri possit, innotescat. Intimus processus pseudoplasmata efficiens, quamvis curiositatem solertissimorum virorum saepissime torserit, adhuc latet ut ceteri generationis processus. Si physiologia non adhuc eo pervenit, ut in normali statu producta oeconomiae animalis dignoscat, si processus assimilationum, secretionum normales abditi adhuc latent, si vis procreatrix naturae etiam ordinata incomprehensibilis sit, quomodo pathologiam illam aberrantem assequi poterit? Actionem igitur intimam causarum, nec non intimos processus, quibus pseudoplasmata progignuntur praetereundo, illas conditiones, quae ad eorum evolutionem influxum exercere possunt, et perturbationes organismi patentes, quae antecedunt, comitantur et consequuntur, breviter perpendere curabimus.

Ut pseudoplasmata germinent, opus est ut vis nutriens producens perturbata sit. Haec vis residet in organis, fluida nutritioni inservientia secernentibus, et ipsis fluidis utitur. Turbabitur igitur quotiescumque organorum actio, et quantitas ac qualitas fluidorum turbatae sint. Actio organorum omnium eodem tempore perversa, diu perdurare nequit, productum vitale nullum edere valet, organismum citissime dissolveret. Unius autem aut plurium organorum actio quidem turbari potest, et ex mutatione dynamica, et ex mutatione materiali. Vis in organo sanae constitutionis aut augetur, aut imminuitur. Compositio organica evertitur cum aequilibrium moleculaium constituentium et conditio mutentur, hoc autem per vim inhaerentem, et per fluida nutrientia. Igitur perturbatio dynamica et materialis sejunctae diu persistere nequeunt. Fluida nutrientia, quin organa ea secernentia turbentur, primitus nunquam vitiari possunt; interdum vero sana quamvis ex origine profluant, quibusdam fortuitis influxibus

subjiciuntur, quibus inquinata organo cui inservire debent causa perturbationis evadunt. Actio igitur organorum eversa momentum praecipuum ad pseudoplasmatum genesim sistit; quaecumque causa hanc actionem aberrantem redderet, pseudoplasmata quoque excitare posset. Sed quoties organorum incitamentum et compages non perturbantur, quin spuriae vegetationes exoriantur? Requirunt quoque pseudoplasmata ad eorum evolutionem dispositionem quamdam, aliquam peculiarem conditionem cuilibet organo inhaerentem, quae omnia veluti generationis factores perpetuo latebunt.

Quae cum ita sint, perspecta hujus morborum ordinis natura, priusquam nostrum quoque ad eosdem morbos referamus, auctores qui de hujusmodi affectionibus pertractarunt consulendos esse credimus, ut, cognitis eorum opinionibus, conveniendum sit nec ne, morbum in aegra nostra repertum, pseudopsalma retinere. Tumor quicumque frigidus, indolens qui absque causa manifesta exoriens durus admodum eveniret, scirrhus olim vocabatur, et cancer quaelibet mali moris exulceratio. Permagnam igitur morborum copiam veteres tali nomine designabant. Itaque ex eorum scriptis quamvis degenerationes organicae frequenter prodeant, quae similitudinem nobis observatae exhibeant, attamen ex tanta doctrinae et denominationis commixtione, nullae rectae notiones elici possunt. Recentiores de scirrho scriptores omne studium ad id impenderunt, ut scirrhi natura elucesceret, et a propinquis affectionibus dignosceretur; sed tot et variae opiniones in ipsis quoque concurrunt, ut nondum scirrhi characteres adeo praefiniti sint, quod in omni stadio ac specie certa sit diagnosis. Et revera sapientissimorum virorum sententiae de scirrhi genesi, sede, adspectu, et specifica virtute quomodo inter se non discrepant? Hippocrates

veteresque alii temperamentum melancholicum scirrhi evolutioni favere retulerunt. Sabatier et plerique recentiores magis hoc in temperamento sanguineo hilariori experti sunt. Aliqui scirrhum in adultis tantummodo evolutum volunt; nonnulli in qualibet aetate. Adsunt qui morbum hereditarium, qui contagiosum, qui universalem, qui localem scirrhum existimant. Quidam e recentioribus quoque scriptoribus a generali functionum assimilantium perturbatione, a peculiari diathesica conditione tale productum exoriri opinantur, quod humorum massa exinde decedens, petat organon aliquod in quo conlatum scirrhus evadat. Ex eo manat opinio, quod ubique scirrhus evolvatur, adspectum, materiem semper eamdem exhibeat, quod non ex. organica conditione individuali, sed quadam causa communi effici debet. Praeterea, quod alicujus visceris pars, adhuc integra a materie scirrhosa interdum sepiatur; quod plures scirrhi contemporanei consurgant; quod adsint scirrhi quin doloribus aut quaecumque noxa corpus excrucietur. His opponitur illorum sententia, qui observarunt generalem assimilationis functionem perversam sistere non posse, minimeque producta diu vegetantia gignere atque alere. In majori harum functionum perturbatione, ut in stadio extremo scorbuti, syphilidis ec. plurima systemata affici, et generalem dissolutionem properare; scirrhum contra in quibusdam tantum textuhus unum, et diu innocuum frequentissime occurrere. Si conspectus, si eadem materies a scirrho semper exhibentur, nonne processu semper eodem in quolibet organo produci possunt? conditio organis inhaerens peculiaris semper eadem producta semper eadem cur gignere non valebit, quin materialis metastasis in ipsis eveniat? Si pars aliqua visceris adhuc incolumis a scirrho circumsepta sit, non ideo inferendum erit, quod materies scirrhosa a sanguine secreta, et illic effluxa partem visceris

obvolvent. Reliquae visceris partes non amplius adsunt, in propriam ergo substantiam a scirrho conversae sunt; et haec quoque quae adhuc incorrupta repentur, progressu temporis converti posset. et scirrhus ni ita faceret, ut ejus evolutio impediatur, necesse erit. Quo rectius in tali casu cogitant ii, qui scirrhum e pluribus locis evolutum existimant, ex illis nimirum partibus, quae ad eum evolvendum dispositionem et causas babebant, atque ab eo comprehensam esse partem, quae conditionem quamvis haberet, causas evolutionis non adhuc sit perpessa. Origo autem alicujus scirrhi quae dolorem et noxas nullas afferat, magis e locali quam universali morbo proficisci videtur. Quot cystici tumores ita non germinantur, quoties systema crystallinum non ita permutatur? Si plures scirrbus eodem tempore adparere etiam conceditur, cum eorum evolutio ita tacita sit, quidnam de eorum ortu contemporaneo aut progressivo, praesertim si intime latcant, certiores nos reddere valet? Quotiescumque scirrbus causas assimilationem perturbantes sequatur, nobis ostendit, quod in ea perturbatione causam determinantem acquirit, non jam essentialem conditionem. Status ille generalis, a quo in humorum crasi scirrbus generatur, diathesis scirrhosa vocatur, et baec sive stabilis, sive temporaria, prout continuo perdurat, aut cum sese a pravis elementis expurgaverit, aliquando desinit. Nonnulli etiam clarissimi viri scirrbum veluti criticum productum cuidam organo commisso animadvertunt,quod ita locatum influxum faventem veluti semen expectat, ut evolvi possit. Hi quamvis diathesim scirrhosam admittere nequeant, in illos conveniunt qui temporariam concedunt; neque vident influxum seminis evolutioni necessarium sufficere posse in organo ad scirrhum disposito, ad scyrrhum evolvendum, quin semen lateat.

Itaque mens illorum rem clarius speculari videtur, qui scirrhum laesionem organicam (1), textuum degenerationem ab eorum vis nutrientis vitio (2), morbum organorum conditioni inhaerentem (3) dijudicant. Quaelibet sane pars in sua oeconomia perturbata statum vegetantem adeo aberrantem habere potest, ut ejus indoles omnino evertatur, ut pseudoplasma efformetur. Quare et glandula mucosa et cellula pinguedinosa in tumorem cysticum et fungum degenerare possunt, in scirrhum, glandula conglomerata.

Sedem quam scirrhus invadere potest, non in minori opinionum discrimine, quam ejus generis versatur. Glandulas conglomeratas et cutim scirrho tantum nonnulli concedunt; aliqui glandulas quoque lymphaticas et textum cellularem. Sunt demum qui scirrhos cunctis textubus grassari contendunt. Etiam aspectus diversimode exhibetur: est tumor valde durus, frigidus, nodosus, insensibilis, insolubilis, unus, non admodum magnus— est tumor durus aequabilis, resolubilis, mollis interdum et elasticus. Quapropter multi characteres, quibus aliqui sedem et formam scirrhi certam designare credunt, ab aliis omnino refelluntur; pari modo ejus decursus, exitus et peculiares qualitates infirmantur. Scirrhus lente crescit, innoxius diu jacet; si aliquid ejus evolutioni faveat, cito interiora emolliuntur, exulcerantur; ceteroquin lente quidem, sed ad eumdem exitum necessario pervenit. — Scirrhus tantum mechanice laedere valet, lentissime progreditur, in cancrum raro abit, aegri longaevam admodum vitam ducere possunt. — Scirrhus funditus excisus antequam dolens et mollis eveniat, amplius non redit. — Scirrhus quolibet stadio excisus acrior resurgit. Cancer legitima scirrhi sequela; nullus alius tumor quamvis lacessitus, cancrum edere potest. —

(1) Pinel. (2) Richerand (3) Gardien.

E quocumque tumore cancer prodire potest; absque praevia induratione interdum exoritur, ab eo contra scirrhus promoveri potest. Hae ceteraeque aliae contrariae opiniones ostendunt, quantum absumus a certa scirrhi notione; sed quomodo tot viri doctrina clarissimi tali pacto discreparent, nisi scirrhus natura et forma cum aliis morbis facillime confundi posset? Fungi et scirrhi tanta cognatione in quibusdam speciebus nectuntur, ut aegre interdum dignosci queant. Et vero Gallorum scripta percurrendo fungosae et scirrhosae affectiones ita copulatae et confusae repeiuntur, ut nullum essentiale discrimen in ipsis adpareat, immo in se invicem permutari videantur; praesertim cum in eodem tumore scirrhi substantia propria, et fungi conjuncta fuisse referatur. Angli contra medici scirrhos et fungos omnino diversos existimant; sed in eorum paene infinita fungorum expositione quaedam species, et quaedam earum stadia adparent, quae scirrhi characteres et cancri ita praeseferunt, ut ab hisce dignosci difficillimum sit. Omnes fungorum species et formas, quae veluti colores fere innumerae sunt, nec non scirrhorum exponere opus esset, ut differentia inter eos si quae sit ostenderetur; sed cum tantum onus nemini adhuc suscipiendum sit, nobis sufficiet si utriusque morbi gradum cognationis exponere, et inde juxta decursum eorum magis communem, characteres qui frequentius animadvertuntur referre valebimus. Fungi omnes et scirrhus ab abnormi vi nutritionis procedunt. Sunt pseudoplasmata quae in organismo vegetant, et cum eo nexum et relationem juxta sedem et evolutionem exercent. Eorum vita organismi vitae inimica; nunquam processu proprio sese conficere valet, nisi prius vitam generalem infregerit. Omnes e massa communi nutrimentum hauriunt, et peculiaria elementa intime parant: veluti producta animalia

simplicissima, facili modo reproduci possunt; quaelibet eorum molecula veluti radix germinare potest. Hisce positis utrisque propriis conditionibus, cujuscumque generis originem, decursum et exitum ut frequentius adparent, observemus.

Scirrhus in aetate critica, in individuis temperamenti sanguineo-biliosi, fibrae rigidae plerumque evolvitur. Glandulas lymphaticas cutim externam et internam aggreditur; causas inflammationem vehementem minime excitantes, sed exiguam diuturnam irritationem exercentes consequitur; interdum absque causis manifestis adparet, saepissime absque dolore. In tria stadia distinguitur: cruditatis, coctionis, exulcerationis. In primo est tumor valde durus, inaequalis, non admodum magnus, mobilis, indolens, calore et tegumentis normalis, materie compositus alba consistentiae cartilaginis emollitae, a striis quibusdam fibrosis albissimis distincta, quae ad circumferentiam a centro vergunt, compressione humor albuminosus densus elicitur. In secundo, quo stadio cancri latentis quoque nomine insignitur, tumor est magis tuberosus, cutim hinc illinc magis extollit, eidem adhaeret, non nihil contrahitur, fusiones internas et ulcera non raro continet, dolores lancinantes edit. Glandulae lymphaticae proximae adsunt haud raro tumentes et durae. In tertio stadio cancer patet, vehementer dolet; ulcus mali moris dura innititur basi, depascenti hiatu progreditur, excrescentias duras inaequales, margines irregulares eversos exhibet, ichor odoris lixivialis secernitur, cruor raro manat. Interim scirrhi ex aliis quoque organis prodeunt; universa inficiuntur, collabuntur. Scirrhus in primo stadio si radicitus divellatur, rarissime redit, si vero reproductus frequenter videatur, hoc erit quod omnes ejus radices non cultro effossae fuerint; aut quod in aliis etiam organis conditionibus ad scirrhum imminentibus,

causae uberiores, ablato scirrho, alteram scirrhi evolutionem excitent. Si diathesis scirrhosa morbosum fomitem secernens adesset, scirrhorum extirpatio in primo stadio magis frustranea evaderet, quod diathesim tunc scirrhoso elemento magis scatere recensendum est. Scirrhi extirpatione bis terve repetita, et tandem deleti, nostram opinionem confirmant. In secundo stadio extirpatio utilis rarius experta fuit; immo aliqui fore nocumenti testantur. Sed chirurgi omni fide dignissimi cancros occultos excidisse profitentur; et nosmetipsi in chirurgica schola ab eodem peritissimo Directore tres cancros occultos omni ex nota, cultro sanatos conspeximus. Diebus nuperrime transactis ipse alterum scirrhum in secundo jam stadio versantem evulsit; quo dissecto cavitas tres ichoris nigricantis uncias circiter includens patefacta fuit. Vulnus bene procedit, tempori judicium utilitatis committitur. In superioribus tribus scirrhis non alias reproductis, hoc contigit observandum, quod fusiones et ulcera, ut in hoc quoque novissimo, a parietibus crassis et duris sepiebantur. Hoc quidem magni momenti ad convenientiam operationis dijudicandam, repetitas et accuratas animadversiones meretur. Hujusmodi observatio illorum opinioni favere videtur, qui secundariam scirrhi evolutionem magis quam a consensuali dynamico processu, a materiali diffusione exortam credunt.

Si Walter acirrhos magnas cavitates includentes difficilius quam duros firmos reproduci contendit, aut illae cavitates duris parietibus circumscriptae fuerint, aut probabilius pro acirrhia strumas auctor observaverit. Cancer patens nulla vi cohiberi potest: teterrimus in exitium ruit.

Fungi in qualibet aetate, frequentius in juvenili exurgunt, individuos cachecticos fibrae mollioris persaepe afficiunt, et in textu cellulari subcutaneo atque intermusculari majori frequentia

evolvuntur. In eorum cruditate duritiem plus minusve elasticam, et progressu temporis etiam fluctuantem exhibent. Substantia fungos plerosque constituens cerebriformis est, et vasis sanguineis nunc caret, nunc scatet. Perturbationes systematis sanguinei fungorum ortum non raro antecedunt, frequenter comitantur et sequuntur. Ex his permagnam evolutionis causam et magis diffusam organa ad fungos disposita acquirere possunt. Itaque fungi plures quoque eodem tempore germinant, et facillime reproducuntur. Variae dyscrasiae herpeticae, scorbuticae etc. cum hujusmodi perturbationes efficere valeant, fungorum evolutioni favere possunt; hinc fungosos tumores quidam scirrhos existimans, cancros herpeticos, scorbuticos, syphiliticos retulit. Eadem stadia quae scirrhus fungi percurrunt, non autem pari modo. Stadia cruditatis et maturationis pro varia fungorum specie diversimode exhibentur. Extremum exulcerationis facilius cum cancro confundi potest; basis tamen carcinomatis plerumque non adeo est dura, excrescentias molliores et magis cruentas habet; ichor quod secernitur non lixivialis olet. Pravi influxus quos exercent fungi ab eorum indole, sede et evolutionis gradu vel maxime pendent.

Hi praecipui sunt characteres qui in communiori fungorum adspectu profaruntur; sed cum eorum species a minimo consistentiae gradu ad osseam usque duritiem pervenire possint, cumque intima structura tam multiplex tamque varia appareat, confitendum est aliquas fungorum species earumque stadia existere, quae nondum a scirrho recte distingui possint.

Difficultas sane augetur quod scirrhorum et fungorum species ultra transiere, et nimium extendere conatur. Hisce omnibus characteribus utriusque morbi relatis, discrimen hoc frequentius exeritur, quod aliqua individualis constitutionis differentia intercedere videtur.

Diuturna historia quae seriem copiosam harum affectionum ita referret, ut exactissime status individualis, et omnia morbi symptomata et effectus exponerentur, lumen aliquod diffunderet.

Reliquum est, ut morbus, quem examinandum suscepimus, in aliquo harum affectionum ordine, si fieri potest, definiatur. Characteres scirrhi et fungorum generales eum patet continere: et quidem huic similes fuisse affectiones illas judicandum est, quae scirrhos et fungos ita in dubium retulerunt. Hic tamen a communi scirrhi decursu in eo decedit, quod in glandulis lymphaticis exortus sit, quod plures partes eodem tempore affecerit, quod magnum volumen adeptus fuerit, et quod in suis tumoribus, ne in illo quidem mammae dexterae exulceratae, nullae essent fusiones nulla substantiae varietas. Si ab utero morbum processisse volumus, in eo non formam scirrho magis propriam deteximus, sed magis corporum fibrosorum. Frequentioribus fungi speciebus quoque distat, symptomatibus enim magis communibus haud comitabatur; nihilominus fungo aterochondromatoso aequiparari posset.

Nos vero certioribus notis fungus et scirrhus usque dum distingui nequeant, neutri referre audebimus, et morbum interim generali nomine, pseudoplasma, et specifico ex peculiari ejus substantia atero-chondromatosum vocabimus.

THESES DEFENDENDÆ

I.

Medicus dignoscat causas humanam oeconomiam laedentes, ejus perturbationes perpendat, intimius ingredi caveat.

II.

Indicata sacci lacrimalis apertura, quo citius fit, eo magis expedita fistulae curatio.

III.

Vox e glottide, ut sibilus e labiis.

IV.

Morbos chronicos magis quam acutos remediis urgere opus est.

V.

Major est morborum chronicorum numerus, quod impetu acutorum represso, reliquiis eorum decursus negligitur.

VI.

Oculi majori nexu quam cetera organa cum organismo junguntur.

VII.

Nervorum mobilitas frequens inflammationis momentum.

VIII.

Aqua cohobata lauro-cerasi in primo stadio praesertim et extremo inflammationis persaepe utilissima.

IX.

Una phthisis pulmonum, tubercularis.

X.

Morbi locales majorem plerumque influxum in statum universalem exercent, quam status universalis in illos.

XI.

Animi pathemata semper excitantia.

XII.

Linea obscurior, quae quindecim circiter dies post partum a scrobiculo cordis ad umbilicum vel pubem descendit, criterium aliquod partus recentis.